



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

215. An vocales nostræ religionis possint licitè abesse à capitulis? Et quid
de Cardinalibus; Et quid est sentiedum de Senatoribus, Confiliariis, &
Decurionibus Civitatis? Et an vocalis peccet ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76429](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76429)

intrinsicè malum in iis circumstantiis tale periculum non vitare; tum quia non est intrinsicè malum tale periculum non cognitum subire, nec est mortaliter se exponere tali periculo, quando id non est notum subeunti; in eo autem casu, periculum non est notum; tum quia illa notitia est quasi non esset, in ordine ad operandum ex illa; tum quia eo ipso quod in reverentiam & honorem Sacramenti se exponit illi periculo; potest & debet sperare speciale auxilium tam antecedenter, vt firmiori proposito se munit, quam postea in ipso articulo occasionis, vt constanter, & fortiter superet tentationem; quæ omnia possunt magnam securitatem aut fiduciam præbere; imò propter hæc & similia potest iam ceteri illa occasio non proxima; etiam si alioquin in aliis similibus occasionibus expertus fuisset ruinam. Hucusque Dicastillus, qui ex parte pro hac sententia adducit Cardinalem de Lugo *vbi supra numero 116.*

RESOL. CCXV.

An Vocales nostræ Religionis possint licitè abesse à Capitulis?
 Et quid de Cardinalibus?
 Et quid est sententiam de Senatoribus, Consiliariis, & Decurionibus Civitatis?
 Et an Vocales peccet mortaliter, si se absterent à Capitulo quando solvet tractanda sit res magni momenti, ipse tamen scit concludendam esse, nec posse cum suo voto adiuvari, nisi illud dicendo inquietudinem, periculum notabilis damni, rixas, & notas singularitatis, & proterviam acquirere?
 Et quid est dicendum, si Vocalis rem iniustam concludendam ab aliis possit cum suo voto impedire? Ex p. 3. tr. 2. Ref. 6.

§. 1. Quoad Senatores, Cardinales, &c. negatiuè respondet Paleotus de Sacro Consist. part. 5. q. 8. & 13. Garzias de beneficiis tom. 1. p. 3. c. 2. n. 525. in fine. Ioannes de Malderiaga de Senatu c. 28. §. 1. Azuevedus in addit. ad Curiam Pisanae lib. 2. c. 8. & Petrus de Ala tr. de Decur. q. 4. §. vbi sic asserit. Non accusantur quod multi alij conueniant, quia quod lex civilis, vel municipalis certo non nunquam numero Consiliario- rum contenta sit, non ad eam sensum detorqueri debet, vt arbitrari suo sine iusta causa possint Decuriones à consilio abstinere, præsertim quia quod legitimus numerus conuenit, bono potius euentui, quam præiudicæ rationi adscribendum est, quantum enim fuit in istis Decurionibus, res communes Civitatis non fuissent consultatæ. Sufficit ergo maior pars illorum, qui conueniunt ex l. quod maior ff. ad municipal. sed quod non omnes conuenire debeant, hoc lex non dicit, imò cautam iustam requirit. Ita Ala.

2. Sed difficultas est quoad vocales nostræ Religionis, nam Peregrinus in commet. ad nostras const. p. 3. c. 9. lit. T. §. 23. n. 6. tam negatiuam, quam affirmatiuam sententiam probabilem putat, & pro negatiua adducit has rationes. Primò, quia vnusquisque potest renunciare favori suo. Secundò, quia non peccat contra iustitiam, quia non enim tenetur ex officio, neque contra charitatem, quia alij ad Capitulum accedunt, & possunt supplere; ergo, &c. Partem verò affirmatiuam probat, quia dicti vocales non interveniendo Capitulis, deficiunt in suo officio, ad quod de iure tenentur, ita vt si continuatè ter abint, forsitan ait peccare mortaliter, quia per trinum actum inducitur consuetudo. Hæc Peregrinus *vbi supra.*

3. Sed vt verum fatear, mihi affirmatiua sententia magis placet, & ideo assero vocales nostræ Religionis.

nis non posse pro suo libito abesse à Capitulo domus quod clarè probatur. Nam quando Capitulum generale vigore nostrarum constitutionum adscribit in vocalium numero personas dignissimas, non tam incidit præbere illis quandam dignitatem, & præminentiam quam imponere onus, & præbere illis munus, vt cum Præpositis cuiusque domus, vbi pro tempore manserint, negotia grauiata, tam in spiritualibus, quam in temporalibus, ad commune bonum illius domus, & Religionis, non solum consultat, sed etiam decisiuè tractant, statuant, & determinent, vt habetur in nostris constitutionibus, & Decretis. Vnde gubernatio nostræ Religionis magis accedit ad regimen Aristocraticum, quam Monarchicum. Ex quibus aperte apparet vocales teneri ex officio ad efficiendum omnia, quæ supra dicta sunt; nam præcipuum munus eorum est Capitulis assistere. Vnde idem Peregrinus p. 3. c. 9. lit. T. §. 13. asserit, quod vocalatus est officium, & vnusquisque tenetur suum officium exercere; ergo, &c. Nec valet dicere, quod Armilla *ver. electio, n. 20. Gutierrez in qq. canon. l. 2. c. 11. n. 187.* & alij communiter docent, quod electores, & canonici possunt renunciare voci suæ, & iuri suo, & sic aliquando faciunt nostri vocales; ergo signum est non teneri ad præbendum votum ex officio. Nam respondeo doctrinam istam esse veram, sed non procedere ordinariè, sed in vno, vel altero actu electionis, dummodo auctoritas prouidendi maneat apud eos, qui zelo non carent, & ita docet Garzias de benef. tom. 1. p. 2. c. 2. n. 533. & seq.

4. Restat modò respondere ad argumenta, quæ pro contraria sententia adducebat Peregrinus. Idem ad primum dico, verum esse, quod quilibet potest renunciare favori; & iuri suo, vt habetur in c. ex conscientia, de for. legiis, & notant DD. quos asserit Barbosa in collect. tom. 2. lib. 5. tit. 20. c. 9. n. 4. attamen hæc non procedit, ob obseruat Sanchi in sum. tom. 1. lib. 4. c. 39. n. 29. & latè Nouarius in qq. forens. part. 2. q. 66. n. 2. & seq. quædo illud jus, & favor, etiam est introductum in ordinem, & fauorem aliorum vt patet ex l. si quis in conscribendo, c. de pallis, & ideo asserit Suarez de legib. lib. 8. c. 33. n. 2. Tamburin. de iure Abbatum tom. 1. disp. 1. q. 12. n. 3. non posse aliquem renunciare privilegio sibi concessio, quod continet etiam ius alterius, cui per talem renunciationem præiudicatur. Sed totum hoc accidit in casu nostro; nam jus cui cederent vocales interveniendi Capitulis, vergeret in damnium Religionis, pro cuius seruitio, & gubernatione, vt probatum est, vocales effecti sunt; ergo non possunt dicto iuri, & favori eorum cedere, quia continet ius alterius, cui per talem renunciationem præiudicatur. Vnde ex his docuit Sigismundus à Bononia de elect. p. 1. c. 2. dub. 25. n. 7. & Laurius in variis elucubr. tit. 4. c. 14. n. 87. quod fratres in electione discreti vocalis possunt renunciare huic iuri, & favori, dummodo talis renunciatio non redderet in præiudicium religionis, sed hoc accidit in casu, de quo loquimur; ergo, &c.

5. Ad secundum dico, quod, vt dictum est, hoc munus pertinet ex officio ad vocales, ad illud verò, quod alij in Capitulo assistent, patet responso ex Petro de Ala *vbi supra.* cui adde Garzias de benef. to. 1. p. 3. c. 2. n. 530. Dico igitur, quod licet onus, de quo loquimur, incubat vocalibus Capitularibus, non vt singulis, sed vt vniuersis, id est, vt pertinent ad vniuersitatè Capituli; & sunt pars illius, attamen vt parti Capituli manet vnicuique prædicta obligatio, alius si quilibet in particulari non teneretur assistere Capitulis sed posset abesse, alij etiam possent id facere, cum non sit maior ratio de vno, quàm de altero, & sic posset deficere bonum regimen Monasterij, & Religionis. Vnde Cardinalis Paleotus de Sac. consist. p. 5. q. 13. sic asserit. Vnquemque, qui munus suscipit, debere cogitare, an illi satisficiat, non autem de aliis, quid sunt acturi; quid enim si reliqui idem facerent;



faceret, & commune bonum ab omnibus destitutum inueniretur? Non est igitur excusandus consiliarius, qui consilium non præbet, eò quod cæteri illud administrare possunt. Sic ille.

6. His tamen minimè obstantibus, non assentior Peregrino, licet cum formidine loquatur, assenti, quod vocales nostris, si per tres vices absint continuate à Capitulo, forsitan peccent mortaliter, quia, ait ille, consuetudo introducit per trinum actum. Sed hæc ratio mihi non placet, & illam refellunt Villalobos in *summ. tom. 1. tract. 2. diff. 38. n. 3.* Suarez de *leg. lib. 7. cap. 10. n. 3.* & alij communiter, ideo per quot vices peccent mortaliter vocales seipfos à Capitulo sine causa absentando, arbitrio boni viri remittendum esse puto.

Sup. hoc inf. in tr. 6. lege doctrina R. 28. & si placet etiã 29.

7. Quæres, an vocalis si se absentet à Capitulo, quando, licet tractanda sit res magni momenti, ipse tamen certissimè scit concludendam esse, nec posse cum suo voto aliquid iurare, nisi illud dicendo, inquietudinem, periculum notabilis damni, rixas, & notam singularitatis, & proterviæ acquirere; an inquam in tali casu se absentando peccet mortaliter? Respondeo negatiuè, per ea, quæ adducit Petrus de Ledelma in *summ. tom. 2. tract. 7. c. 2. concl. 24.* Garzias de *beneficiis tom. 1. p. 3. c. 2. n. 537.* Ioan. Valerius in *diff. vir. fori. ver. suffragium. diff. 2. in fine.* Et ratio est, quia durum esset obligare aliquem ad assistendum Capitulo cum tanto incommodo, quando, vt suppositum est, nihil votum suum potest efficere; licet contrariam sententiam possit quis sustinere, per ea quæ adducit Paleottus de *Sacro consist. part. 2. q. 6. & seq.* cum nostro Molfesio in *summ. tom. 1. tract. 6. c. 7. n. 93.* quia ratione officij tenentur singuli de Capitulo aperire veritatem, & procurare, quod ab aliis percipiatur, etiam si contradictio nihil profutura esset, & damnum, quod timetur, est contingens, & potest non euenire, & si eueniet, potius illud debetur sustinere, & ex parte sua procurare, vt euitetur peccatum. Sed prima sententia tutò potest amplecti. Verum dicendum est omnino, quod si vocalis rem injustam concludendam ab aliis possit cum suo voto impedire, tunc enim si se absentaret à Capitulo propter humanos timores, & respectus, mortale peccatum committeret, & ita docet Armilla *ver. consensus. n. 3.* Tabiena *ver. electio. n. 3.* Castellinus in *tract. de elect. in append. ad c. 5. n. 11.* & alij DD. communiter. Vide etiam Riccium *part. 3. dec. 276. n. 5.* Rebelleum *p. 1. l. 3. q. 7. n. 9.* & 10. Grassiū *dec. p. 1. l. 2. c. 127. n. 18.* & Syluest. *ver. consensus. q. 3. in fin.*

RESOL. CCXVI.

An sint habendi tractatus ante electionem? Ex p. 2. tr. 16. & Misc. 2. Ref. 35. alias 37.

Sup. hoc inf. ex l. 2a doctina Resol. 218. §. vlt. ad medium, à vers. quãuis enim. Et quãdo casus deseras videre quæ in predicto casu occurrere possit in to. 6. tr. 1. in R. 137. 138. & 139. & in aliis earum annotationu.

§. 1. **A**mbitio, tanquam pestis electionum, fuit ita sacris Canonibus exosa, vt per *c. cum post petitam, de elect.* cassanda & annullanda sit electio illius, qui etiam requisitus antequam esset electus, consentit electioni de se faciendæ, & ita notauit Miranda in *manuale. pral. p. 2. q. 23. art. 30. cõl. 1.* & Per. de Greg. *tr. de elect. c. 9. n. 6.* vnde in *c. per inquisitionem, eod. tit. de elect.* statuitur per multas causas electionem Episcopi Tholosani esse indignam, & præcipuè, quia ipse & eius amici ante suam electionem habuerant colloquium cum quibusdam Canonicis, eosque sollicitauerant precibus, vt ipsum eligerent in Episcopum; vbi Abbas noster Panormitanus n. 5. infert, quod sollicitans electores pro sua electione, facit se indignum, quia probatur ambitiosus. Et hoc non solum quando sollicitat per se, sed etiam per alios, vt patet ex textu, *vbi supra.*

2. His ita suppositis, iuris communis vestigia se-

quendo, sanctè determinatur in aliquibus Religiosis sub pena excommunicationis late sententæ, vt ante electionem nullus tractatus de illa habeatur. In quibus verbis non prohibentur tractatus consultiõni, sed tractatus ambitiosi, pactionales, conditionales, &c. vt rectè notauit Pet. Bassilius in *direct. elect. p. 3. c. 3.* Guilelmus Mandagotus in *Miscell. c. de elect. n. 11.* & etiam illos Abbas in *c. bona memoria. el. 2. n. 11. de el. cu. alio.*

3. Igitur permittitur ante electionem tractatus consultiõni, & ita in *cap. si transitus, dist. 79.* probatur quòd viuente Papa habeatur tractatus consultiõni de substitutione Summi Pontificis. Ex quo asserit Cucchius in *inst. can. l. 4. tit. 1. n. 185.* quòd potestas extendendæ de personæ alicuius qualitate sermonem facerè se habendi, vt sciant an dignus quis sit qui te postulante eligi possit, non est adempta Collegio, viuenti adhuc Prælati. Et Per. Greg. in *p. iur. can. l. 1. tit. 29. c. 5.* obseruat quòd glossæ in nomine Domini, *v. tractatus. res. dist. 25.* vult quòd postquam in vnum locum conuenerint electores, habeant tractatum antequam eligant, nominando vtrique plures per modum consultiõnis, qui videantur digni electione, & fiat collatio nominatorum personæ ad personam & meritum. Sed quia hodie electiones vt plurimum efficiuntur per secreta suffragia, non præmittitur talis tractatus electioni, qui antea erat ita necessarius, vt aliter non valeret electio, vt patet in *cap. Genesis. de elect.*

4. Patet igitur ex dictis, posse Regularem huiusmodi Religionum, vbi adest talis prohibitio cum electoribus, vel aliis per modum consultiõni tractatum habere de aliquo eligendo, vt sciat, an talis sit dignus, vel si sciat, vt alios informet & persuadear, vt illum eligant, dummodo hoc non efficiatur ex consensu, seu opera ipsius eligendi, sed sponte ab electoribus, propter illius merita. Nam si talis tractatus efficeretur per seipsum, vel per alios, esset tractatus ambitiosus, vt supra in *cap. per inquisitionem, de elect.* & ideo prohibitus, vt pactionalis, conuentionalis, conditionalis, &c. Et ita determinauit Molfesius, heu quondam noster, in *summa tom. 1. tr. 6. c. 16. n. 47.* vbi sic asserit. Ambitiosus per canones repellitur, tanquam indignus ab electione. Quod est valde notandum contra eos, qui etiam procurare solent, vt eligantur ab aliis, nam nullæ sunt postea electiones, vt præcipuè sancitur per nostras constitutiones, quibus etiam huiusmodi tractatus præcedentes prohibentur, ad euitandam omnem suspicionem ambitionis. Ita ille, & ego.

RESOL. CCXVII.

An in electionibus, si vota ferantur sub conditione, vel personis incapacibus habenda sint pro nullis, ita vt, qui à maiori parte aliorum votorum fuerit electus, rectè sit electus?

Quod idem dicendum est in scrutinio per schedulas celebrato, si reperiantur aliqua schedula alba, tunc enim ea reiecta, ac si non esset, cetera vota numerantur. Ex p. 8. tr. 7. & Misc. Ref. 77.

§. 1. **A**firmatiuè respondeo ex *c. in electionibus, de elect. in 6.* & ibi glossa, & ideo Miranda in *Manual. Pral.* sic asserit. Si vota & suffragia in electionibus ferantur conditionata & sub conditione aliqua incerta atque ambigua, aut sub disunctione, nihil proflus valent, debentque haberi pro non adiectis. Hæc conclusio est etiam lupradicti Sylu. *loco supra citato,* & probat eã per *c. in electionibus, extra cõd. tit. 6.* ita quòd si quis sua schedula suffragio, siue voto, dixerit: Consentio in Petrum, siue in Paulum, aut in Petrum, si Paulum habere non potero: aut consentio in quem, in quem Ioannes, vel maior pars, siue Præles Ca-